

tia debita omnibus prædestinatis, et quod illud sit medium per se necessarium ad salutem consequendam, nulla ratione vel auctoritate fundatum est, imo utrique valde repugnat; recte enim tria distinxit Augustinus, lib. de Corrept. et gratia, cap. 11 et 12, scilicet, posse nunquam peccare, actu nunquam peccare, et non posse peccare. Primum ait datum fuisse Adæ in statu innocentiae sine secundo et tertio; primum autem et secundum sine tertio dari omnibus adultis, qui salvantur, paucis quidem pro tempore toto vitae, omnibus autem pro aliquo tempore; tertium autem pertinere dicit ad statum gloriae, potuissetque addere, vel ad singulare privilegium, quanquam diverso modo, quia in gloria fit homo impeccabilis per intrinseca dona, in via vero non fit sine extrinseca protectione Dei, de qua alias; certum est autem eos, qui recipiunt primum et secundum, id est potestatem non peccandi et actu non peccare usque ad mortem, recipere perseverantiae donum, quia ille est effectus proprius hujus doni; ergo, ex sententia Augustini, donum perseverantiae non facit impeccabilem, quia non auferit potestatem peccandi, sed solum habet actum.

Et confirmatur primo: nam auferre ab homine viatore potestatem peccandi, est non minus miraculosum quam auferre ab illo potestatem moriendi, vel conceptibilitatem; ergo nulla ratione dicendum est pertinere hoc ad ordinariam providentiam, et necessariam ad beatitudinem cum effectu consequendam; at donum perseverantiae pertinet ad ordinariam providentiam, estque necessarium ad salutem, ut sumitur ex Tridentino, sess. 6, can. 22; ergo donum perseverantiae non facit hominem impeccabilem, ita ut auferat potestatem peccandi. Confirmatur præterea ratione sæpe insinuata, quia si talis perseverantiae modus, qui potentiam peccandi tolleret, necessarius esset ad perseverandum, non esset in potestate hominis justii perseverare, quia non potest a se auferre potentiam peccandi, neque aliquid facere quo fiat impeccabilis in hac vita, aut quo Deus teneatur potestatem peccandi auferre; ergo simpliciter loquendo non esset in potestate hominis justii salvari.

*Quæ sequantur absurda ex doctrina adversariorum.* — Unde sequuntur alia absurda supra illata, scilicet, hominem justum deserere a Deo priusquam deseratur ab ipso, dum relinquatur sine medio necessario ad non peccandum; item imputari homini id quod præstare

non potest, et similia; denique absurdum est de divina sapientia et potentia ita sentire, ut non possit hominem conservare sine peccato usque ad mortem, nisi necessitando illum ad non peccandum, seu auferendo potentiam peccandi; ergo sine fundamento dicitur hoc esse medium necessarium ad salutem prædestinatorum. Potius ergo spectat ad sapientiam Dei et efficaciam gratiae ejus, ut, conservata libertate hominis, et potestate peccandi retenta, ita illum dirigat ac gubernet, ut infallibiliter non peccet, quod fit optime per auxilia congrua, sine physica prædeterminatione.

## CAPUT XX.

SENTENTIAM DE PHYSICA PRÆDETERMINATIONE SOLIDUM FUNDAMENTUM NON HABERE, AC PROPTEREA DEFENSORES EJUS IN EO NON CONVENIRE.

*Adversariorum inconstans doctrina.* — Sicut (philosopho teste) magnum indicium consecutæ veritatis est, difficultates omnes ex illa emergentes dilucide et constanter posse dissolvere, ita e converso signum vehemens falsæ doctrinæ est, ita difficultatibus implicari, ut intellectum torqueat, et inconstantem ipsum in doctrina relinquat, nunc hanc, nunc oppositam viam tentando, cum nihil mens inveniat ubi pedem figere valeat. Quod sane post variam istorum auctorum lectionem, eorumque attentam considerationem, eis contigisse reperio in evadendis difficultatibus quæ ex illa sua sententia oriuntur. Quarum capita sunt illa duo sæpe tacta. Unum est, si talis determinatio a solo Deo efficaciter facta necessaria est ad conversionem, quomodo habeant sufficiens auxilium ad salutem, qui talem determinationem non habent nec habere possunt, et quomodo liberi sint, ut converti possint, si velint, eisque imputetur quod non convertantur. Alia est, quomodo hi qui sine usu libertatis determinantur ad consensum, cum usu suæ libertatis consentiant. Ad quas expediendas difficultates, quam diversas et repugnantes vias dicti auctores tentaverint, et quam sine fructu et exitu, in capitibus proxime præcedentibus existimo esse satis demonstratum. Nunc fundamentum et naturam talis auxilii, et varii quos de hac re habent dicendi modi, non minus inter se et superioribus repugnantes, et multa quæ occasione illorum dicunt, tractanda sunt et examinanda, ut omni ex parte soliditatem illius doctrinæ perscrutemur.

*Eorum fundamenta varia.* P. Cabrera, tota illa disp. 2, et fere in omnibus seqq. — Franc. Davila, d. l. de Auxiliis, per totum, præsertim c. 6, p. 46, 126; p. 375 et seqq. — Nunno, in 3 part., q. 62, a. 5, quæst. 1 et seqq. — Ut autem hoc melius fiat, a fundamento illius doctrinæ incipiendum est; nam in hoc etiam vix aliquid firmum invenies in his auctoribus. Interdum enim pro fundamento hujusmodi efficaciam sumunt dependentiam liberi arbitrii a Deo, tanquam causæ secundæ a prima, ut constat ex his quæ tractavi, l. 1 de Auxiliis, c. 5, et lib. 2, cap. 1 et 6, et lib. 3, cap. 7, et latissime idem supponunt ac defendunt moderniores Doctores supra citati, qui ob hanc causam aiunt, *negare hanc efficaciam modum esse contra philosophum, et philosophicæ principia, et contra demonstrationes naturales.*

Aliquando vero non solum in hoc fundamento non persistunt, sed etiam in aliud extremum inclinant; judicant enim hoc genus auxilii efficacis et determinationis non requiri ad naturales actus, sed esse proprium ordinis gratiæ. Imo interdum significant non dari aut esse necessarium ad omnes supernaturales actus liberi arbitrii, sed solum ad actum conversionis et justificationis. Ita sentire videtur Franciscus Davila dum inquit, *auxilium efficax seu justificans esse quamdam motionem actualem adulatorum, qua movente non stat quin liberum arbitrium consentiat, et animam ad gratiæ introductionem disponat.* Dixerat autem ante hoc auxilium præcedere non solum excitantes motiones non liberas, sed etiam liberos actus, quibus homo bene operando fovet illas motiones excitantis auxilii, et ita se disponit ad auxilium efficax, ut paulo inferius expressius declarat, dicens: *Qui lethali culpæ subjacet, bene utatur auxilio sufficiente, et præsto aderit auxilium efficax, et cum eo gratia justificans.* In quibus verbis manifeste limitat auxilium efficax ad ultimam dispositionem gratiæ, et priores dispositiones supponit fieri sine auxilio efficaci, tametsi negari non possit quin supernaturales sint. Et eandem doctrinam repetit, cap. 5, ubi, postquam dixit Deum disponere animam remote per auxilia, subdit: *In introductione autem gratiæ simul efficax auxilium infundit, quæ est ultima ad gratiam dispositio.* Non invenio autem in hoc auctore fundamentum aliquid propter quod auxilium efficax requiratur ad hunc actum potius quam ad alios supernaturales, sive tempore antecedant justificationem, sive sequantur.

Majori ergo apparentia dicere posset auxilium efficax prædeterminans esse proprium adeoquato modo (ut sic dicam) ordinis gratiæ, quia solum ad illum et ad omnes actus liberos illius ordinis requiritur. Juxta quem dicendi modum non est fundanda necessitas hujus determinationis in generali subordinatione causæ secundæ ad primam, sed in speciali elevatione, qua indiget liberum arbitrium ut supernaturales actus eliciat. Ob hanc enim causam non videtur liberum arbitrium, etiam vocatum et excitatum, inchoare consensum, nisi prius Deus incipiat elevando ipsum et operando in illo; per hanc autem operationem Dei, necesse est determinari liberum arbitrium ad cooperandum. Quia non stat Deum ita operari, et liberum arbitrium non consentire, quia non est elevatio tantum habitualis, sed actualis, sicut est elevatio instrumenti conjuncti per actualem motionem principalis agentis. Hæc autem elevatio quoad opera gratiæ non solum est necessaria in actu perfecto ultimæ dispositionis, sed etiam in attritione supernaturali, et in quibuscumque aliis dispositionibus remotis ejusdem ordinis, quia in illis omnibus non operatur liberum arbitrium per suas naturales vires; ergo indiget prædicta elevatione; neque etiam ea tantum indiget ad illos actus supernaturales, qui tempore vel natura antecedunt justificationem, eo quod eliciantur sine habitu, sed etiam est necessaria ad eos actus qui postea per habitus infusos eliciuntur. Nam, licet habitus ipse sit connaturale principium, nihilominus voluntas per seipsam semper influit immediate in actum, etiamsi cum habitu operetur; et ideo etiam tunc indiget actuali elevatione divina, quæ per illud auxilium efficax et prædeterminans fieri censetur.

*Quidam fundant necessitatem prædeterminationis in sola indifferentia potentiæ liberæ.* — At vero alii fundant necessitatem hujus prædeterminationis in sola indifferentia potentiæ liberæ. Qui, consequenter loquendo, nec limitant necessitatem hanc ad solum ordinem gratiæ, nec illam extendunt ad omnes causas secundas; nam illæ, quæ natura sua ad unum determinatæ sunt, non indigent nova determinatione, præter determinationem ad individuum effectum, quæ per concursum generalem concomitantem sufficienter fit. Dicunt ergo, in causis liberis, qua liberæ sunt, atque adeo ad omnes liberos actus earum, necessariam esse hanc prædeterminationem propter indifferentiam talium causarum. Nam



causa indifferens non potest determinatum effectum producere nisi prius ab alio determinetur; non enim potest determinari a se, quia, ut supponitur, ad talem determinationem est indifferens, et ab indifferente, ut sic, non potest determinatio prodire; debet ergo esse ab alio, et non nisi a Deo, quia liberum arbitrium non subicitur efficaci actioni alterius.

*Determinatio nihil refert ad auxilia gratiæ explicanda.* — Alii denique ab hac generali necessitate excipi inde putant actus malos liberi arbitrii, ne Deum faciant eorum principalem auctorem. Quæ omnia latius tractavimus in libris de Auxiliis; hic autem solum commemorata sunt, ut constet (quod diximus) doctrinam illam nullum habere solidum fundamentum quo nitatur, et hoc genus determinationis nihil omnino referre ad auxilia gratiæ explicanda, et alioqui cum libertate auxilii male conciliari. Quod ut evidentius constet, per omnes illos dicendi modos sigillatim discurremus, et varios ac repugnantes modos evadendi dictas difficultates proponemus, eosque insufficientes esse ostendemus.

## CAPUT XXI.

## AUXILIUM EFFICAX NON AD SOLAM PERFECTAM DISPOSITIONEM AD GRATIAM, SED AD OMNES ACTUS SUPERNATURALES REQUIRI.

Principio igitur pro certo habendum est auxilium efficax gratiæ (de quo loquimur) non requiri tantum ad ultimam dispositionem justificationis gratiæ, seu etiam ad reliquos actus liberos, vere et in se supernaturales, sive antecedant justitiam, sive sequantur. Probatur primo inductione. Nam ante ultimam dispositionem ad gratiam antecedit actus spei, et ante hunc actus fidei et voluntas credendi, quæ in rigore videtur esse primus actus liber in se supernaturalis, quia fides est fundamentum cæterorum actuum, et initium fidei est affectus credendi, ut dicitur in Concilio Arausicano secundo, can. 4. Certum est autem ad voluntatem credendi requiri auxilium efficax; ille enim credit, cui Deus cor aperit, et ille venit per fidem, qui a Patre audit, et discit, quæ sunt phrases Scripturæ, quibus efficax auxilium insinuat. Et ita Augustinus, in locis communibus hujus materiæ sæpe citatis, et infra latius tractandis, frequentius declarat necessitatem gratiæ efficaci in vocatione ad fi-

dem; eadem autem ratio est de actu spei, vel timoris, vel attritionis, atque ideo de quocumque alio actu libero, qui, licet sit ita imperfectus ut non disponat ultimate ad gratiam, nihilominus in se supernaturalis sit, et ex suo genere sit dispositio saltem remota ad gratiam justificationis. Nulla enim probabilis ratio discriminis inter hos actus potest assignari.

Secundo, id probatur ex Scriptura. Nam omnia testimonia ex quibus auxilium efficax colligi potest, generalia sunt et de omnibus his actibus verificantur; hujusmodi sunt illa: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, Joan. 6; et illud: *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate*, ad Philip. 2. Nam de quocumque actu supernaturali fateri debemus Deum esse qui trahit hominem ad illum operandum, et qui principaliter illum operatur, et qui facit ut faciamus; ergo ad omnem illum est necessaria efficax gratia Dei. Quod etiam confirmat illud 1 ad Cor. 4: *Quid habes quod non accepisti?* Dicitur enim homo a Deo recipere supernaturale opus per efficaciam gratiæ suæ; nullum ergo opus pietatis est quod non procedat ab auxilio efficaci. Atque ita ex his testimoniis videtur ex professo docere Augustinus, ep. 106.

Tertio, declaratur ratiōne, quia si auxilium efficax est ultima dispositio ad gratiam, et auxilium sufficiens est ad remotas dispositiones, sequitur ad ultimam gratiæ dispositionem non dari auxilium pure sufficiens, sed tantum efficax; consequens est omnino falsum; ergo. Sequela patet, quia auxilium sufficiens præcedit, solumque sufficit ad remotas dispositiones; si autem homo bene illo utatur, dicitur infallibiliter dari auxilium efficax et justificans; ergo respectu ultimæ dispositionis non datur immediatum auxilium tantum sufficiens, sed illud ipsum auxilium præveniēns, quod immediate exigit bonum usum, efficiendo cum illo dispositiones remotas, dicitur esse sufficiens ad ultimam, non proxime, sed remote; quia si homo bene illo utatur, consequetur ultimam dispositionem per auxilium efficax.

*Sicut ad fidem, spem, etc., potest homo vocari et sufficienter tantum, et efficaciter, ita etiam ad actum contritionis, vel amoris Dei.* — Falsitas autem consequentis patet, quia, sicut ad fidem, spem et alios actus potest homo vocari, et sufficienter tantum et efficaciter, ita etiam ad actum contritionis vel amoris Dei super omnia. Unde Concilium Tridenti-

num, sess. 6, c. 5, et can. 3 et 4, eodem modo quoad hoc loquitur de actu fidei, spei, charitatis et poenitentiae, requirens ad singulos excitantem gratiam, cui potest homo interdum consentire, interdum resistere. Quod est dicere illam excitationem interdum esse congruam, seu efficacem, interdum vero esse tantum sufficientem. Ergo utrumque genus auxilii immediate locum habet, tam in actu contritionis, quam in cæteris, et ita Augustinus et Theologi non minus distinguunt vocationem congruam a sufficiente tantum, in vocatione ad contritionem et amorem Dei super omnia, quam in cæteris actibus. Unde quantumque quis bene usus fuerit auxilio præveniēti per remotas dispositiones, potest vocari sufficienter ad contritionem, et non efficaciter, tum quia nulla est lex vel promissio dandi auxilium efficax ad justitiam propter dispositiones remotas, ut superius ostensum est; tum etiam quia non est minus libera contritio post remotas dispositiones, quam fuerint ipsamet remotæ dispositiones.

Quarto, directe probatur, ad dispositiones remotas requiri auxilium efficax, quod imprimis potest ad hominem suaderi, quia hi auctores sentiunt idem esse auxilium Dei physice efficiens cum voluntate, et physice prædeterminans voluntatem, nam ob hanc causam nobis imponunt quod negamus physicam efficientiam auxiliorum gratiæ, quia negamus physicam prædeterminationem; ergo necesse est ut vel dicant actus supernaturales, qui sunt imperfectæ et remotæ dispositiones ad gratiam, non fieri physice ab auxiliis gratiæ, quod sine dubio non faciunt, vel certe fateantur illos etiam actus fieri ab auxilio efficaci, atque adeo physice prædeterminante, ut ipsi volunt.

Deinde argumentor in omni sententia, quia si auxilium efficax ita determinatur ab effectu seu actione, ut quidam volunt, certum est non posse hominem aliquid supernaturale operari, quantumvis minimum illud esse videatur, quod divinum auxilium actualiter non efficiat, et hoc est quod principaliter significat Augustinus dicta epist. 106, dum ait divinam gratiam ita adjuvare hominem ad recte vivendum, *ut nisi adjuvet, nihil pietatis atque justitiæ, sive in opere, sive in voluntate, habere possimus.* Sic etiam definiunt Concilia hominem nihil supernaturale posse operari sine gratia adjuvante et cooperante, quæ eo ipso efficax est seu actu efficiens.

Si vero gratia efficax dicatur ipsamet gra-

tia præveniēns, quando ita præbetur ut infallibiliter habeat effectum, sic nullus est etiam supernaturalis actus ad quem vocatione congrua seu efficax non necessario præcedat. Probatur, quia ad omnem hujusmodi actum necessaria est gratia excitans, quia per omnem illum venit homo aliquo modo ad Christum, et ideo trahitur a Patre. Item, quia sine Spiritu Sancti inspiratione nihil possumus pie et sancte cogitare aut loqui, ac denique quia initium omnis actus supernaturalis est a Deo, sumitur autem initium ab excitante gratia; neque oportet excipere supernaturales actus, qui fiunt ab homine jam credente vel justificato, quia, licet fortasse motus præveniēntis auxilii diversus sit post habitum fidei vel justitiæ, quam antea, tamen simpliciter fatendum est omnes illos esse ex sancta cogitatione et inspiratione divina, atque adeo ex divina vocatione. Ex quo ulterius fit, quoties homo sic operatur, præcedere excitationem seu vocationem congruam, quæ apud Deum, et ex intentione ejus infallibiliter habitura est effectum, quam nos efficacem appellamus.

Quod si quis contendat hoc genus vocationis efficaci non esse necessarium ad omnes actus supernaturales (quod an sit aliquo modo probabile, vel sine errore possit defendi, modo non disputo), attendat id non posse verisimiliter dici de cæteris actibus supernaturalibus, potius quam de ultima dispositione ad justificationem. Nam si de aliquibus actibus supernaturalibus defendi potest non esse ad illos necessariam gratiam efficacem præveniēntem, sed satis esse sufficientem cum efficaci concomitante, id maxime haberet locum in actibus supernaturalibus, qui vel fiunt ab hominibus reprobis, vel qui non conferunt ad vitam æternam cum effectu consequendam, quia non videntur tales actus procedere ex divina electione ad gloriam, et consequenter neque ex vocatione secundum propositum, quæ dicitur efficax. At, licet hoc daremus (cum sit falsum), constat manifeste inter hos actus inveniri ultimas dispositiones ad gratiam sanctificantem, et alios quoscumque actus, tam perfectissimos quam minus perfectos; ergo ex eo capite non potest fieri distinctio inter ultimas dispositiones et remotas. Sicut etiam e converso in supernaturalibus actibus prædestinatorum, qui cum effectu conferunt ad ultimam salutem eorum, non potest fieri illa distinctio; omnes enim, etiamsi remote tantum disponant, procedunt ex vocatione data secundum propositum et electionem Dei, quia



omnes sunt media quæ eum effectu conducunt ad vitæ æternæ consecutionem. Igitur distinctio illa, etiam respectu vocationis congruæ, nullam profecto probabilitatem habet.

*Licet gratia efficax ponatur in prædeterminatione physica, nulla differentie ratio inter prædictos actus assignari potest.* — Atque hinc tandem concluditur quod, licet gratia efficax ponatur in prædeterminatione physica, nulla differentie ratio inter illos actus assignari potest. Nam si non est necessaria ad omnes hos actus, ergo non est necessaria ex vi subordinationis causæ secundæ ad primam, neque ex vi indifferentie liberi arbitrii, neque ex vi supernaturalitatis, nam hæ rationes generales sunt, et eandem necessitatem inducerent in dispositionibus remotis et proximis. Quæ ergo differentie ratio assignari potest, vel quæ est specialis necessitas talis determinationis ad ultimam dispositionem potius quam ad prævias? Nunquid quia ultima dispositio perfectior est? At major vel minor perfectio specifica intra eundem ordinem non postulat tam diversum modum agendi; nam ad perfectiorem tantum in specie sua sufficit perfectius auxilium in ratione specifica, servans tamen eundem modum quoad liberi arbitrii indifferentiam; hæc enim non minus servari potest et debet in actu perfecto quam in imperfecto. Eo vel maxime quod rationes quibus uti solent dicti auctores æque in utrisque actibus procedunt; nimirum, quod omnes hi actus sunt media divinæ prædestinationis, et proveniunt ex absoluta intentione et voluntate Dei moventis, ut tales effectus infallibiliter fiant.

Alia vero ratio differentie præcedenti capite insinuata dari potest, videlicet, quod ultima dispositio non procedit ab habitu, et ideo oportet ut Deus ipse utatur voluntate, actualiter elevando et determinando illam ad illum consensum; sed hæc ratio imprimis ab istis auctoribus dari non potest, quia ipsi tenent ultimam dispositionem ad gratiam procedere ab habituali gratia seu charitate, et e converso tenent remotam dispositionem (præter actum fidei et spei) non procedere ab habitibus, ut est timor servilis, attritio, etc. Deinde improbat simpliciter illa differentia, quia involvit, seu supponit has illationes: *Actus supernaturalis non procedit ab habitu; ergo procedit ex prædeterminatione physica; ve e converso si procedit ab habitu, non est ad illum necessaria determinatio physica;* hæ autem illationes nullius momenti sunt. Non qui-

dem prior, quia, licet desit habitus, potest Deus supplere activitatem ejus per aliud auxilium, seu principium quod potentiam non determinet. Habitus enim ipse licet det vim supernaturaliter agendi, non tamen determinat potentiam, ut necessario operetur posito habitu, nec etiam in sensu composito, seu ex suppositione ipsius habitus. Cur ergo auxilium aut principium, quod datur ad suppleendam activitatem habitus, non poterit hoc præcise præstare absque determinatione potentie quam non facit habitus? Igitur differentia illa ex hac parte nulla ratione nititur, nec veram necessitatem ostendit prædeterminationis, propter solam efficientiam sine influxu supernaturalis habitus.

Scio primum Cabrera habere in hoc singularem doctrinam et mihi novam; dicit enim, disput. 2, § 7, num. 246. et § 8, num. 306, *applicationem voluntatis, quæ est effectus gratie habitualis operantis, provenire a principio intrinseco physico, id est, gratia habituali efficaciter prædeterminante voluntatem.* Quibus verbis significare videtur habitum gratiæ et charitatis, cum primum infunditur a Deo, determinare efficaciter voluntatem ad operandum.

Unde alio in loco contrario modo argumentatur, quam nos hic ratiocinati sumus. Inde enim probat posse *Deum determinare voluntatem per auxilium actuale, quia potest facere formam actualem ejusdem rationis ex parte nature cum habitu, verbi gratia, charitatis.* Quod inferius probat, quia *forma, et principium determinatum superadditum potentie indifferenti determinat illam modo sibi proportionato, habitualiter, si fuerit habitus, et actualiter, si fuerit actuale auxilium.* Posset autem aliquis hæc verba pie exponere de tali habituali determinatione, quæ nihil aliud sit quam habitualis inclinatio, quæ determinate est ad talem actum; et non ad alios, potestque dici determinatio quoad specificationem, quia si quis utatur tali habitu, eliciet determinate talem actum, et non alium. At vero huic sensui repugnat ratio quam priori loco subjungit; probat enim gratiam habitualement operantem efficaciter determinare voluntatem, quia gratia efficaciter operans applicat ad operandum, alias non esset efficax, cum non habeat effectum. Vult ergo dari gratiam habitualement efficaciter operantem, et determinantem voluntatem, non solum quoad speciem actus, si tali habitu uti voluerit, sed etiam quoad exercitium, applicando illam ut

tali habitu utatur. Deinde, si solum loquitur de determinatione pro inclinatione, frivola est ratio, quam facit de auxilio actuali, nam solum concludet tale auxilium actualiter inclinare, non vero actualiter efficere aut determinare quoad exercitium, si sit auxilium præveniens. Si autem auctor ille, ut plane videtur, loquitur de efficaci determinatione ad exercitium actus, inauditus est quod habitus ipse charitatis vel poenitentiae habeat hanc vim, ex vi et natura entitatis suæ, etiam in prima infusione, tum quia saltem pro tunc tolleretur libertatem; nam libertas voluntatis destruitur, si per qualitatem habitualement determinatur ad unum, et quasi superatur potestas ejus, quæ est ad utendum habitu pro suo arbitrio, ut recte dixit Scotus, 4, dist. 46, quæst. 6, et consensit idem Cabrera, dict. disput. 2, num. 180; tum etiam quia si in prima infusione habitus determinaret voluntatem ad primum actum, cur idem habitus permanens non determinaret eandem voluntatem ad sequentes actus, et ita confirmaret illam in bono redderetque impeccabilem? Nam in prima infusione non habet ille habitus aliam naturam, nec majorem perfectionem aut efficacitatem; neque tunc est gratia operans magis quam postea, neque ut operans habet elicere actum, sed informare et sanctificare juxta modum loquendi D. Thomæ 1. 2, quæst. 3, a. 2. Nunquam ergo habitus determinat efficaciter voluntatem ad actum, ac proinde, ut activitas habitus per aliud auxilium vel principium suppleatur, non est necesse ut illo modo determinet voluntatem.

Altera etiam consequentia fundamentum non habet. Nam si determinatio physica aliquo titulo interdum esset necessaria voluntati ad operandum, habitus infusus potentie non tolleretur necessitatem illius determinationis, quia infusus habitus solum datur ut sit principium connaturale actui, et ut formaliter det voluntati vires agendi, quas non habebat. Quoad modum autem agendi, perinde subest voluntati ac naturalis habitus, quia eodem modo utitur illo voluntas, cum vult. Ergo habitus neque aufert neque confert voluntati necessitatem determinationis; ergo vel est necessaria ad omnes actus, sive eliciantur ab habitibus. sive non; vel ad nullos. Potest tamen quis dicere his rationibus recte probari quemlibet actum supernaturalem esse ab aliquo auxilio efficaci, tamen inter auxilia efficacia dari quoddam valde perfectum, quod simpliciter et quasi per antono-

masiam vocatur auxilium efficax, et hoc esse illud quo ultimate disponitur anima ad justitiam; præter hoc vero dari alia auxilia, imperfecta quidem quoad effectus quos efficiunt, nihilominus tamen efficacia in modo efficiendi illos. Vel aliter, quoddam esse auxilium efficax, non tantum ad operandum, sed etiam ad consequendam animæ salutem, seu gratiam, et remissionem peccati, ut fit per ultimam dispositionem; vel etiam gloriam, ut fit per donum perseverantiæ, et hoc vocari simpliciter auxilium efficax. Aliud vero esse quod, licet sit efficax ad operandum aliquem supernaturalem actum, non tamen ad introducendam animæ salutem, et ideo non nisi secundum quid vocari efficax.

Ad hoc tamen respondemus doctrinam in se veram esse, tamen modum loquendi esse inusitatum. Debuissetque prædictus auctor aliquod indicium hujus sensus et distinctionis tribuere, et quale sit auxilium efficax ad dispositiones remotas explicare, quod nunquam præstitit; imo si ejus doctrina consideretur, vix potest ad illam distinctio data accommodari; nam vult solum auxilium præveniens (quod vocat sufficiens) satis esse ut homo sua libertate bene illo utatur, et ita mereatur auxilium efficax (quod vocat motionem prædeterminantem). Hoc autem non potest habere locum, si ad illum priorem bonum usum requiritur aliud auxilium efficax proportionatum, licet minus perfectum, ut superiori cap. 17 satis declaratum est. Ergo simpliciter et sine ulla distinctione videtur ille auctor excludere ab illis dispositionibus remotis illud suum auxilium efficax. Quod si ita est, relinquit liberum arbitrium, quod solum illas dispositiones efficiat, supposita excitatione morali prævenientis gratiæ, quam solum moraliter et non physice causare sæpissime ipse repetit. Igitur, absolute loquendo, de auxilio efficaci ad operandum aliquod supernaturale, verissimum esse credimus auxilium efficax requiri ad omnes actus ordinis gratiæ, seu supernaturales.

## CAPUT XXII.

## AUXILIUM EFFICAX ESSE PROPRIUM ORDINIS GRATIÆ.

Ex dictis in superiori capite, recte concluditur fundamentum et necessitatem auxilii efficaci non esse sumendum ex propria et speciali perfectione ultimæ dispositionis ad